

CIV. De unicorni. Unicornis animal est parvum quidem, ut dicit Ysidorus, secundum fortitudinem corporis. Brevia etiam crura habet secundum suam magnitudinem. Acerrimum nimis est, ita ut a nullo venatore vi valeat comprehendi. Huic color buxeus. Cornu in media fronte habet quatuor pedum, a quo
 5 nec ipse elephas tutus est corporis sui magnitudine. Hoc cornu ad saxa limat in pugna. Nam sepe cum illo certamen habens in ventre vulneratum prosternit.

|| Ut dicit liber Kyrannidarum, cornu illud demones eicit.
 || Perforatur enim, et sic sono et presentia cornu fugatur demon.

Ferrum non timet. Manet in montibus excelsis et in solitudinibus vastissimis
 10 commoratur. Iacobus et Ysidorus: Sed hoc argumento capitur: Puella virgo in silva proponitur solaque relinquitur. Qui adveniens omni ferocitate deposita casti corporis pudicitiam in virgine veneratur caputque suum in sinu puelle aperientis imponit sicque soporatus inermis deprehenditur a venatoribus, occiditurque vel in regali palatio ad spectaculum exhibetur. Hoc animal
 15 primo, ut Plinius dicit, magnus Pompeius ad spectaculum Rome exhibuit. Hoc crudele animal Christum significat, qui ante incarnationem seviebat in celo puniendo angelos propter superbiam, in terra homines propter inobedientiam sicut Adam et propter luxuriam sicut Sodomitas, propter crapulam sicut filios Israel. Huic nullo contradicere audente clamat Ysaïas: *Non est*, inquit, *qui*
 20 *consurgat et teneat te*. Hunc virgo in deserto mundi quasi cepit, dum gloriose virginis Marie incomparabili pulchritudine castitatis illectus dei filius quasi sinum eius uterum introivit atque per eam humanatus corpus accepit, in quo a Iudeis quasi crudelissimis venatoribus comprehensus occiditur, indeque resurgens et ascendens ad celos in celestis regni palatium ad patris dexteram collocatur.

CV. De urso. Ursus animal est sevim nimis, membris deforme. Excoriatum membrum fere habet ut hominis. Huius virtus maxima in brachiis est et in lumbis. Caput autem infirmum habet et debile. Ambrosius: Ursa tricesimo die a conceptione paulo maturius maiorem, ut dicit Plinius, immaturam prolem
 5 parit; carnem quam ex se educit lambit et fetum fovendo et formando producit in membra. Interdum appectoratos fetus fovent, ut assiduo accubitu calefacti animale spiritum trahant. Sane matres interea primis quatuordecim diebus in sompno ita concidunt, ut nec vulneribus excitari possint. Mox egressae in diem liberum tantam patiuntur insolentiam lucis, ut putes eas obsitas cecitate. Itaque
 10 in ipso fetu cum nascitur, nullum membrum apparet preter unguium liniamenta. Plinius: Ursi non sicut alie quadrupedes, sed sicut homines coeunt. Libidinem suscitant certa tempora veneris. Solinus: Mares reverentur honore secreto ursas gravidas. Nichil rarius quam parientem videre ursam. Specus si non habuere, ramorum fruticumque congerie edificant in locis, que magis impenetrabilia sunt, molli fronde constrata. Aristotiles: Urse femine sunt fortiores et
 15 audaciores maribus, sicut in leopardorum genere est; citius domesticantur et astutiores sunt. Quatuor mamillas habent. Ursus indifferenter comedit carnes et fructus terre sive arborum propter humiditatem corporis. Ascendit autem